



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sectio 2. An infidelitas negatiua etiam in materia naturalis fidei potest
interdum ab omnis culpa excusari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

excusari non posse, eo quod Fidei prædicationem non habuerint, quia receperunt à Deo media sufficientia, quibus illum possent naturaliter cognoscere, & si illis subsidijs bene vti fuissent, Deus illis maiora dedisset, & ita in hoc sensu responsio data ad principale fundamentum, ad hoc etiam testimonium accommodanda est, si enim non concludit Paulus nullum hominem posse ab infidelitatis peccato excusari, sed concludit non debere hoc imputari Deo, aut providentiæ diuinæ, sed defectibus, & peccatis hominum, quod potest optime fieri, etiam si talis imputatio speciale peccatum infidelitatis non inducat.

2. & vera loci expositio.

12. Nihilominus vera, & communis expositio Sanctorum, quos supra retuli, & omnium expositorum in illum locum est, illa verba dicta esse à Paulo de prædicatione Evangelij, quæ facta est per Apostolos, & per Ecclesiam, nam de hac loquitur à principio illius capituli, & in hoc sensu dicit, quomodo audient sine prædicante, & adducit illud Isaiæ, qui credidit auditui nostro, unde infert: ergo fides ex auditu, ubi sine dubio loquitur de vera fide, non de naturali cognitione ad quam solum potest valere celorum cursus, & sonus: neque obstat, quod in Psal. verba illa ad literam de cælis intelligantur, quia potuit Paulus illis vti vel per accommodationem, ut quidam volunt, vel in sensu allegorico, quod Apostolico spiritu sæpe fit ab eodem Paulo, vel certe in sensu literali, quia ut bene ibi notat Tolet. id est testimonium plures habere potest sensus literales: hoc igitur sensu supposito, est controversia inter Patres, an fuerit Evangelium prædicatum ab Apostolis in vniuerso orbe, & in omnibus prouincijs eius, an verò Paulus more prophetico sit loquutus prædicans per verbum præteritum, quod adhuc futurum erat. Cuius resolutio videri potest apud Salmer. disp. 34. super epistolam Pauli ad Rom. 10. & Benedictum Pereira ibid. disp. 4. Sed quidquid sit de hac controversia, quamuis daremus Evangelium fuisse prædicatum in omnibus orbis prouincijs, affirmari non potest fuisse singulis hominibus, & personis sufficienter propositum, ut rectè notauit D. Tho. quod non solum est verum de tempore Apostolorum, sed etiam de toto posteriori tempore usque ad præsens, ut experimento etiam cognitum est, & hoc nobis sufficit, ut in multis hominibus potuerit, & possit esse infidelitas negatiua non obstante vniuersali prædicatione Apostolorum, & eorum successorum.

Exponuntur loca August. in n. 4. ad dicta pro sententia,

14. Ad testimonia Augustini in secunda confirmatione allegata responderetur in priori loqui Augustinum de hæreticis, qui aliquam Christi Ecclesiam in mundo esse agnoscunt, sed veram ignorant, & de his dicit non posse inuincibilem ignorantiam allegare. Et hoc ipsum communiter, seu regulariter intelligendum est. Nam et inter hæreticos possunt esse aliqui nati inter illos, & postea non satis instructi, qui pro aliquo tempore inuincibiliter veram ecclesiam ignorent, ut vti ipso, & experientia satis constat. Ad aliud testimonium responderetur verum quidem esse omnes homines, qui sine fide moriuntur puniri poena æterna, quia cum fides sit medium necessarium ad salutem sine illa non potest ad vitam æternam perueniri, & ideo necesse est, ut ad statum æternæ pœnæ perueniatur, quia inter hæc non est medium, non repugnat autem inuincibiliter illud ignorari, quod est medium necessarium ad salutem, & ideo potest quis in æternum damnari non propter peccatum commissum in omissione talis medij, sed propter alia peccata, & ita contingit in hac infidelitate negatiua, quæ est pœna peccati, non peccatum, ut docuit D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 1. & q. 2. art. 5. ad 2. cum August. lib. de corrept. & Grat. c. 6. & sequentibus. Nam etiam facile contingere potest, ut aliquid sit poena peccati, & non peccatum, quia, & in quantum poena inuoluntaria est, & in quantum impedit

aliquid medium necessarium ad salutem potest sub illa ratione inuincibiliter ignorari, ut iam declarauimus. Unde idem Aug. lib. de Natur. & Grat. c. 4. dixit hos infideles puniri in inferno, vel propter peccatum originale, vel propter peccata actualia contra bonos mores, tacet autem de peccato infidelitatis sentiens propter illud non puniri, & primum de peccato originali dixisse videtur propter paruulos, secundum vero propter adultos, quia nullus est infidelis vtræ ratione, qui non habeat propria peccata actualia. Quocirca quod in alio loco August. dixit, hos infideles puniri poena ignis saltem leuiori, si referatur etiam ad paruulos dictum est iuxta aliam sententiam eiusdem August. quod peccatum originale punitur poena ignis leuiori, quæ tamē iam communiter non tenetur; unde potest referri ad adultos, quorum peccata propter hanc ignorantiam leuiora interdum esse possunt.

SECTIO II.

Utrum hæc infidelitas negatiua etiam circa materiam naturalem fidei possit interdum ab omni culpa in his infidelibus excusari.

Supponimus ex dictis in superioribus duas esse partes materiz Fidei, vnam supernaturalem omnino, quæ nisi per reuelationem cognosci non potest, ut mysteria Trinitatis, Incarnationis, & cætera superioris ordinis; aliam vocamus naturalem, quia per rationem naturalem cognosci potest, ut Deum esse, & similia. Inter quas est discrimin in hoc, quod circa priorem materiam solum cadit obligatio præcepti supernaturalis, quia lumen naturale illam non attingit, circa posteriorem autem cadit duplex obligatio vna præcepti supernaturalis fidei, quatenus etiam illa pars à Deo reuelata est; alia est obligatio præcepti naturalis, quo obligatur homo ad illas veritates cognoscendas etiam in pura natura, ut supra visum est. Unde sit ut proposita questio circa priorem partem materiz fidei locum non habeat, quia ostensum est infidelitatem negatiuam excusare à culpa contra præceptum supernaturale fidei: ergo maxime excusat circa illam materiam, circa quam magis necessaria est reuelatio, sed circa illam materiam peccati non potest per errorem, vel ignorantiam, nisi contra præceptum supernaturale fidei: ergo talis infidelitas excusatur ab omni culpa circa illam materiam. At vero circa alteram partem materiz duplex occurrit dubitatio. Vna est, an illa infidelitas excuset à culpa propria contra præceptum supernaturale. Altera est, an excuset etiam à peccato ignorantiz contra præceptum naturale.

1. Prior dubitatio videbatur quidem satis resoluta ex dictis in præcedenti sectione, nihilominus tamen aliqui mouent dubitationem, quia in his hominibus talis est infidelitas, quæ sufficiat ad expellendum habitum fidei, sed habitus fidei non expellitur, nisi per propriam infidelitatem contra præceptum supernaturale fidei iuxta doctrinam Concilij Trident. sess. 6. canon. 11. ergo isti infideles non excusantur ab hac culpa. Maior probatur, nam si puer baptizatus inter infideles, & idololatrias educetur, & postea perueniens ad vsum rationis colat idola, & in alijs erroribus contra rationem naturalem versetur, amittet vsum fidei, quem in baptismo obtinuerat, & solum propter illam infidelitatem, cum aliam non habeat: ergo, &c. Maior patet, tum quia alias esset fidelis, & Gentilis, seu idololatra quod videtur valde absurdum. Et sequela patet, quia si retinet vsum fidei fidelis est, nam hic est quasi effectus formalis illius habitus, & ideo paruuli baptizati inter fideles computantur, & aliqui est Gentilis, seu idololatra, quia illa peccata committit, tum etiam, qui

1. Dubium. Utrum infidelitas negatiua in materia naturalis fidei excuset à culpa. Ratio dubitandi,

quia ille habet voluntatem omnino affectam tali
secta, quæ repugnat fidei: ergo habet voluntatem
incausam piz affectionis ad fidem: ergo est inca-
pax habitus fidei.

3. Dicendum nihilominus est, huiusmodi homi-
nes excusari à propria culpa infidelitatis contra
præceptum fidei, etiam ut cadit in hanc materiam
naturalem: Hæc assertio sequitur euidenter ex di-
ctis in sectione præcedenti. Quia isti homines ha-
bent ignorantiam inuincibilem totius reuelatio-
nis fidei: non minus ut est de veritatibus naturali-
bus, quam ut est de supernaturalibus: ergo etiam
habent ignorantiam inuincibilem totius præcepti
supernaturalis fidei: ergo excusantur à culpa ppiæ
infidelitatis circa totam materiam fidei, non tan-
tùm supernaturalem, sed etiam naturalem.

Primum autem dicens probatur ex dictis, quia reuelatio
fidei de quacunque materia sit etiam naturali, non
fit nisi modo supernaturali, ac proinde per prædi-
cationem, & propositionem rei credendæ sub aũ-
thoritate diuina, sed ad istos infideles non peruenit
hæc reuelatio, nec sufficiens propositio eius, ut pro-
batur: ergo simpliciter, & absolute, & cum ea-
dem excusatione ignorant totam reuelationem fidei.
Vnde facile probatur ratio prima, quia præ-
ceptum supernaturale fidei non cognoscitur nisi
per reuelationem supernaturalem sufficienter pro-
positam, quia illud ipsum præceptum est quoddam
supernaturale obiectum. Altera consequentia eu-
denter est, quia non potest peccari contra obligatio-
nem supernaturalem, quandiu supernaturale præ-
ceptum, & à quo illa obligatio nascitur, inuincibi-
liter ignoratur. Vnde confirmatur primo, quia hi
infideles dum errant circa istam materiam non re-
cedunt à testimonio primæ veritatis: ergo non pec-
cant propria culpa infidelitatis. Consequentia cla-
ra est, quia sicut assensus fidei etiam ut cadit in ta-
lem materiam fundari debet in testimonio primæ
veritatis, ita infidelitas circa eandem materiam
non committitur nisi per dissensum à prima verita-
te. Antecedens autem probatur, quia illis non est
propositum testimonium primæ veritatis circa ta-
lem materiam, hoc enim in casu supponitur: ergo
non possunt voluntarie dissentire tali testimonio.

Confirmatur denique, quia, vel isti peccant per in-
fidelitatem omisiuam (ut sic dicam) scilicet caren-
do assensu fidei circa talem materiam, vel quasi
omisiuam positiue errando in tali materia:
neutrum dici potest: ergo in nullam incidunt in-
fidelitatis culpam. Probatur minor ad priorem
partem, quia assensus fidei circa talem materiam
est illis impossibilis: ergo carentia eius non potest
esse omisio culpabilis. Quoad alteram verò par-
tem probatur, quia ille error quatenus est contra
fidem in illis hominibus nascitur ex ignorantia pri-
uatiua inculpabili, ut ex probatione prioris partis
constat: ergo etiam ipse error est inculpabilis respec-
tu supernaturalis fidei.

4. Obiectio autem in contrarium facta tora
pendet ex illo casu de infante baptizato, & inter in-
fideles educato, qui postea in adulta ætate eorum
errores profiterur, de quo queritur, an amittat
habitus fidei, necne? In quo duplex est modus re-
spondendi, prior est concedendo, illum amittere
habitus fidei, propter rationem supra factam, quo
posito dicendum erit habitum fidei non tantum a-
mittere propter culpam sed etiam propter physicam
oppositionem, vel inter errores, & fidem, vel in-
ter prauam dispositionem voluntatis affectam ad hu-
iusmodi errores, & consequenter auersam à pia fidei
affectione. Sed hic modus dicendi mihi non pro-
batur primo propter autoritatem Concilij dicen-
tis habitum fidei infusum non amitti nisi per infide-
litate peccatum. Secundo quia fieri potest, ut ta-
lis ignorantia, vel error sit inuincibilis simpliciter,

etiam ut est contra lumen naturæ saltem pro ali-
quo tempore, ut statim dicam: ergo fieri potest,
ut ille homo pro aliquo tempore non peccet mora-
liter: ergo non amittit gratiam: ergo multo mi-
nus amittit fidem. Tercio, quia ad perdendam fi-
dem non satis est error etiam culpabilis per negli-
gentiam, nisi iniercedat pertinacia, & ideo, ut su-
pra dixi, potest fidelis errare culpabiliter in vna,
vel alia propositione, & non statim perdere fidem:
ut latius infra tractantes de hæresi dicemus. At ve-
rò in homine, de quo tractamus non est pertinacia,
cum non sit instructus in fide: ergo non amittit fi-
dem. Denique actus erroris, sedulsa culpa, & per-
tinacia, non potest physicè expellere habitum fi-
dei, quia neque actus erroris formaliter opponi-
tur habitui, ut illum excludat physicè in genere
causæ formalis, neque etiam in genere causæ effi-
cientis potest inducere habitum expellentem for-
maliter fidem infusam, quia habitus acquisitus non
opponitur formaliter infuso, quia non sunt eius-
dem ordinis: ergo nullo modo potest illa infide-
tas expellere habitum fidei: dico ergo non esse in-
conueniens, quòd in illo homine perseveret habi-
tus fidei infusus, quandiu non est ita dispositus, ut
habeat voluntatem formaliter contrariam, & per-
tinacem contra fidem: ita enim perseverat fides in
homine Catholico cum vno, vel alio errore mate-
riali, vel saltem sine pertinacia, eadem autem est
ratio de vno errore, & de multis. Vnde in homi-
ne educato inter hæreticos post baptismum potest
esse multitudo errorum, & affectio ad propriam se-
ctam cum ignorantia, vel inuincibili, vel saltem ex-
cludente pertinaciam, ac proinde sine amissione
habitus fidei. Neque est inconueniens, ut talis homo
simul sit habitualiter fidelis, & actualiter, seu mate-
rialiter infidelis, quia hæc duæ denominationes non
sunt oppositæ.

5. Superest dicendum se secundo puncto, vide-
licet, an infidelitas talis hominis, & in tali materia
possit excusari à culpa ignorantie etiam contra le-
gem naturæ. Quam questionem solent tractare
Doctores sub alio titulo magis vniuersali scilicet,
an earum rerum, quæ sunt iuris naturalis, possit
dari ignorantia inuincibilis, quæ materia tractari
solent in 2. questione 76. disputando de peccatis,
& ideo paucis comprehendam, quæ ad hunc lo-
cum spectant. Prima ergo sententia negat hanc ig-
norantiam rerum fidei in materia naturali esse pos-
se inculpabilem, quam à fortiori tenent Authores
allegati pro prima sententia in præcedenti puncto,
& sumitur ex Alexand. Alenf. 2. part. questione 153.
memb. 3. & Alberto Magn. in 2. dist. 22. artic. 10.
Durand. in 3. dist. 25. quæst. 1. & idem sentit Gra-
tia. in §. ultimo, post caput vltimum primæ quæst.
4. Potestque suaderi ex Paulo ad Rom. 1. de Gen-
tibus dicente esse inexcusabiles, non glorificantes
verum Deum, quem ex rebus visibilibus possent
cognoscere, quod etiam significat Sapiens Sapient,
14. & Isaias cap. 46. Confirmatur primò quia alias
etiam de Deo ipso posset esse ignorantia inuincibi-
lis, nam difficilius cognoscitur, quam reliqua: con-
sequens est contra illud Psalm. 13. dixit insipiens in
corde suo, non est Deus. Denique addi potest ratio, quia
præceptum cognoscendi hæc veritates naturale est,
& per ipsum lumen rationis sufficienter promulga-
tur: ergo non potest illius transgressio propter ig-
norantiam excusari.

6. Nihilominus contraria sententia communis
est, quam latè tradit Cordub. libro 2. de ignorant.
questione 4. & communiter expositores D. Tho-
mæ quæst. 76. præsertim Vasquez disput. 122. tenet
etiam Sanchez libro 1. Decalog. cap. 16. numer. 33.
Valent. 1. 2. disput. 6. quæst. 6. puncto 1. Corol. 7.
Azor tomo 1. instit. moral. libro 1. cap. 13. quæst. 1.
Alexand. Pezant. 2. 2. quæst. 10. disputat. 4. & alij.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

2. Dubium.
Vtrum igno-
rantia præ-
cepti natu-
ralis excusa-
ri queat à
culpa.

Hæc sententia generatim, seu infinite suscepta de aliqua ignorantia aliquarum rerum, & in aliquibus personis, & pro aliquo tempore vitæ non solum vera est, sed etiam clara. Potestque in hunc modum persuaderi: Nam hæc veritates de quibus tractamus licet naturaliter cognosci possint, nihilominus non sunt per se notæ, sed necessaria est, vel inventio, vel doctrina ad illas cognoscendas: multi autem sunt homines, qui aut vix, aut nullo modo possunt saltem pro aliquo tempore adhibere diligentiam ad illas cognoscendas aliquo ex dictis modis: ergo in illis facile dari poterit prædicta inuincibilis ignorantia. Maior, & consequentia euidenter sunt. Minor probatur, quia in primis homines rustici, & aliis actionibus humanis occupati non possunt, humano modo loquendo, per propriam inventionem acquirere hanc cognitionem, & idem est de pueris multo tempore post usum rationis: ac proinde facile potest illis deesse necessaria doctrina, vel quia maiores, vel parentes, à quibus docendi essent, in errore versantur, vel quia negligentes sunt: ergo in huiusmodi hominibus sine dubio inueniri potest hæc ignorantia inuincibilis. Neque contra hoc procedunt testimonia, vel rationes factæ, quia loquuntur in generali, non in singulis hominibus, & similiter licet hoc præceptum per lumen naturæ promulgetur, fieri potest, ut illa promulgation non singulis sufficienter applicetur.

Vera sententia amplius explicatur.

7. Quamvis autem generalis hæc doctrina vera sit, illam ad singula particularia applicare non est facile, neque in vno loco exacte fieri potest, quia pender ex maiori, vel minori difficultate cognoscendi singulas ex his veritatibus naturalibus, quæ proprias disputationes postulant, & ideo breuiter solum insinuabo, quid probabilius in singulis iudicari possit. Ad hoc autem clarius præstandum duplex materia harum veritatum distingui potest. Vnam vocare possumus speculatiuam, aliam practicam. Speculatiua est, quæ ad Deum pertinet, & aliqua ex parte ad naturam hominis, vel creaturarum cognoscendam, ut Deum esse, & esse vnum, Omnipotentem, vel creatorem, habere prouidentiam, & similia, & consequenter de rebus creatis cognoscere illas dependere à Deo in fieri, esse, & operari: & specialiter de homine, habere animam immortalem, & liberum arbitrium, hæc enim videntur maximè necessaria ad conuenientem institutionem humanæ vitæ etiam merè naturalem, & ad tendendum in vltimum finem eiusdem ordinis, & ideo existimo esse non posse ignorantiam inuincibilem omnium istarum rerum in toto genere humano, & hoc probatur rationibus primæ sententiæ, & valde pertinere ad diuinam prouidentiam. Nihilominus tamen multa ex his potuerunt ignorari, & ab aliquibus hominibus fortasse omnia pro aliquo saltem tempore vitæ, præsertim verò ea, quæ difficilius agnoscuntur, de quibus in aliis locis, ut dixi, tractatur. Ad materiam practicam pertinent in primis generalia principia morum, ut quasdam actiones esse honestas, alias turpes, & malum esse vitandum, bonum prosequendum: inter quæ potest etiam illud numerari, quod tibi non vis, alteri ne facias, & è contrariò, quacunque vultu ut faciant vobis homines, ea facite illis. Idemque censeo de quibusdam propositionibus, quæ licet particulares videntur, in ipsis terminis necessariam honestatem includunt, ut parentes esse amandos, iniustitiam esse vitandam. Et de his omnibus existimo non posse dari ignorantiam inuincibilem, quia sunt per se notissima. Post hæc constituuntur sub hoc membro præcepta Decalogi, quæ magna facilitate in illis principis deducuntur, & ideo vix potest de illis, aut aliquo illorum per se, aut nudè spectato dari inculpabilis ignorantia: nihilominus tamen non omnino repugnat saltem pro aliquo tempore, & in ali-

Præcepta naturalia circa materiam speculatiuam à toto hominum genere ignorari nequeunt inculpabiliter.

Quid de aliquibus hominibus tam in materia speculatiua, quam in practica.

qua materia minus nota, V. G. in mendacio, quod semper malum sit, & præsertim quando velitur aliqua circumstantia apparente, ut esse potest etiam in simplici fornicatione, vel in vindicta sumenda propria auctoritate, quando aliter non potest, vel in similibus. Denique in vltimo gradu collocantur quædam alia præcepta naturalia obscuriora, quæ per multas illusiones, & accurato discursu ex prædictis principis colliguntur, ut verbi gratia, vltimam esse malam, ut vxorum pluralitatem, & in his facilius admitti potest excusatio, ut per se clarum est.

SECTIO III.

Utrum in his infidelibus omnis actio humana sit peccaminosa.

Hæc quæstio tractari solet in materia de gratia, & non videtur per se pertinere ad infidelitatem, tamen quia Diuus Thomas hic quæst. 10. artic. 4. illam tractat, & ad cognoscendum statum horum infidelium, & effectum infidelitatis vult esse potest, breuissimè illam expedit. Est igitur prima sententia docens omnia opera infidelium esse peccata. Ita tenuit Gregor. in 2. distinct. 39. quæstione 1. art. 2. Corol. 3. & Michael Bayus in suis assertionibus assertionem 26. Eandem opinionem constanter tuetur Catherin. in librum Genes. capite 2. Fundatur primò in illo Pauli ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, quod sæpè August. de fide Catholica exponit. Item ex illo ad Titum 1. *Infidelibus nihil est mundum, sed inquinata est eorum mens & conscientia*. Item ex illo ad Hebr. 11. *sine fide impossibile est placere Deo*, quod etiam de singulis actibus Patres exponunt. Secundò maximè fundatur hæc sententia in D. August. qui ceteris multis in locis illi fauere videtur, præsertim libro quarto, contra Iulianum capite 3. vbi longo discursu probare conatur, nihil boni in infidelibus simpliciter inueniri. Idem habet in Præfatione ad Psalm. 31. & libro 1. de Nuptiis cap. 3. in particulari dicit etiam pudicitiam coniugalem infidelibus deesse. Tertiò additur ratio, quia bonitas operis pender ex obiecto, & omnibus circumstantiis simul sumptis, sed infidelitas facit, ut opus habeat semper aliquam circumstantiam malam, vel careat aliqua bona, & necessaria: ergo facit, ut omne opus infidelis peccaminosum sit. Probat minor, nam vna circumstantia operis boni est finis bonus, ut est notum in Philosophia morali, & sumitur ex verbis Christi, *Si oculus tuus fuerit simplex, &c.* Luc. 11. vbi per simplicem oculum recta finis intentio intelligitur, sicut etiam Marth. 7. Mala intentio dicitur *arbor mala, quæ non potest fructus bonos facere*. Confirmatur, & declaratur, quia infidelis colens idola, verbi gratia, sæpius refert opera sua omnia in falsum Deum, quem colit, sicut homo fidelis refert opera sua in verum Deum, sed hæc relatio sufficit, ut opus sit malum ex fine malo, sicut sufficit, ut sit bonum ex fine bono: ergo. Quod si fortasse hæc relatio non semper præcedat, saltem in infideli deest relatio operis ad verum Deum, quæ necessaria est ad bonitatem operis, & ideo præcipitur à Paulo 1. ad Corinth. 10. dicente. *Omnia quacunque facitis, in gloriam Dei facite*. Tandem confirmatur, quia opus bonum sine gratia fieri non potest, sed infideles omni gratia carent: ergo nihil boni facere possunt.

2. Contraria sententia communis est Theologorum, docet illam D. Thom. 2. 2. quæstione 10. artic. 4. vbi Caietan. & omnes expositores, & Valent. suo tertio tomo, disput. 1. quæst. 10. puncto 2. & reliqui Theologi in 2. dist. 41. D. Thom. quæst. 1. artic. 2. Bonavent. quæst. 1. Durand. quæst. 1. Capreol. quæstione 1. Item docet Capreolus dist. 18. quæst.

Conferat. 20. Thom. lib. 1. de gratia c. 6. & 7.

1. Sententia.

1. Eius fundamentum.

1. Fundam.

3. Fundam.

Confirm. 1.

Confirm. 2.

Vera sententia.